LAURENTIUS ABSTEMIUS REUERENDO IN CHRISTO PATRI & D(E)N(U)O PAULO...

Lorenzo Astemio, Pythagoricus Sextus sive Sixtus




Sixtus Pythagoricus



Laurentius Abstemius Reuerendo in Christo patri & dño Paulo Episcopo Forosempronii.S.P.D.

Lectitanti mihi nuper quendam aureum Syxti philosophi pythagorici libellum:breuibus quidem uerum grauissimis creberrimisq; refertum sentẽtiis subiit admiratio hũc a nemine hactenus:quod sciam impressum, quum cottidie multi impressores perituras chartas nugis impleant:quibus tamen ignoscendum puto:quum lucro tantum studeãt,plu resq; nugarum q̃ sententiarum huiusmodi emptores inueniant. Motus tamen comuni utilitate: & harum re℞ admi ratione Hieronymo Soncino,qui hic libros imprimit:persuasi:ut caeteris omissis hunc cuderet : quem si non uulgo: at uiris saltem doctis,& uirtutum amicis gratum fore confido. Ex magnis enim multorum philosophorum libris uix tot sententias ad instructionem uitae pertinentes inuenire poterunt:quot hoc exiguo opusculo continentur.Hũc ideo ad te potissimum misi episcoporũ doctissime, ut iudicium tuum exquirerem,quem omni uirtute ac doctrina ornatum esse uon ignoro.Te igitur oro obsecroq;:ut quid de eo sentias:me certiorem facere uelis.Vale Abstemii tui memor:& Illustrissimo Duci nostro:quom datur occasio: etiã atq; etiã me cõmenda. Fani Idibus Maiis . MDII .



p Vlchre in Syxti Pythagorici libri sententiolis dicit: Adulter est uxoris amator ardétior. quem librum quidam in linguam transferés latinam martyris Syxti nomine uoluit illustrare: non consyderans in toto uolumine: quod in duas partes diuisit: Christi nomen & apostolorum omnino reticeri. Nec mirū si gentilem philosophum: ut romanæ urbis epm trāstulerit: cum Eusebius Cæsariensis primum pro origene librū Pamphili martyris uocabulo communiuerit: ut facilius tali laudatori libros. de pricipiis romanis cōciliaret aurib⁹.

Item Augustinus secundo retractationum. capitulo xlii. librum: quo pelagio respondi defendens gratiam non contra naturam, sed per quam natura liberatur: & regit: de natura & gtatia nuncupaui: i quo uerba quædam, uelut Syxti romani episcopi & martyris Pelagius posuit, ita defēdi, tāq̃ re uera eiusdem Syxti essent. Id enim putaueram. Sed postea legi Syxti philosophi esse, non Syxti romani christiani

RVFINVS APRONIANO FILIO .S.P.D.

q Voniam grex ad uocem ꝓprii pastoris accurrit: ita & religiosus auditor uernaculi pastoris admonitionibus gaudet, Quia ergo carissime fili Aproniane, soror iam i Christo tua poposcerat a me: ut ei aliquid, quod legeret, tale cōponerē, ubi neq̧ laboraret in intelligendo, aperto & satis plano sermone Syxtum Pythagoricum in latinum uerti: Quē Syxtū episcopum esse tradūt, qui apud nos in urbe romana Syxt⁹ uocatur episcopi & martyris gloria decoratus, Hūc uero cū legerit, inueniet tam breuem ut uideat singulis uersibus ingentes explicari sensus, tam uehementē, ut uersus sentētia ad totius possit perfectionem uitæ sufficere: tam maximum ut quidem legenti puellae expertem se itellectus esse causetur. Omne autem opus ita breue est, ut de manu eius nūq̃ possit recedere: totus hic liber alicuius preciosi optinens an

nuli locum. Et re uera æquum uidetur:ut cui pro uerbo dei terrena ornamenta forduerant: nūc a nobis ad uicem uerbi & sapiæ monilibus adornetur. Nunc ergo interim habeat in manibus pro annulo liber, paulopost uero in thasaurum proficiens totis seruet in corde disciplinis, & bonorū actuū comuniones de intimo suggesturus archano: Addidi & quædam religiosi parētis ad filium, sed breue totum: ut merito omne opusculum: uel enchiridion si græce: uel si latine annulus appelletur.

f Idelis homo electus homo est. Electus homo: homo dei est. Homo dei est, qui deo dignus est. Deo dignus est: qui nihil indignū deo agit. Deo studens fidelis esse: nihil quod deo idignū ē agas. Dubius in fide homo mortuus est in corpore uiuente. Vere fidelis est: qui non peccat, etiam in minimis caute agit. Non est minimū in uita hominis negligere animā. Omne peccatum impietatem puta. non enim manus uel oculus peccat, uel aliquod huiusmodi membrum: sed male utens manu uel oculo. Omne membrum corporis: quod suadet te contra pudiciciam agere: abiiciendum est. Melius ē enī cum uno membro uiuere: q̄ cum duobus puniri. Immortales tibi crede permanere in iudicio & honores & pœnas. Quicquid saeculi habes, etiam si auferat tibi quis non indigneris. Te ipsum reprehensibilem mundo non praebeas. Omnia tibi auferenti ante cede praeter libertatem. Sapiēs uir & contemptor pecuniae similis est deo. Rebus saeculi in causis tantum necessariis utere. Quae seculi sunt saeculo & quae dei sunt deo. Cum loqueris de deo, scito: ꝙ iudicaberis ab eo. Certus esto, quod animam tuam id est depositum fidele acceperis a deo. Optimam purificationem putato nocere nemini. Anima purificatur in uerbo dei per sapientiam. Nunq̄ putes dei sapientiam insensibilem esse. Deus sicut mens est, quae modo sponte secundum haec & subsistit. Magnitudinem dei non inuenies, etiam si pēnis uolare possis. Nomen dei non quaeras, quia nec inuenies quia omne quod nomine appellatur a meliore nomen accipit: ut alius quidem uocet: alius autem audiatur. Quis ergo

est:qui nomen imposuit deo? Deus autẽ nõ nomen est dei sed iudiciũ quod sentimus de deo. Nihil ergo de deo, quđ non licet quaeras. Deus sapiens lux ẽ: incapax cõtrarii. Quaecũq; aũt fecit deus, pro hominibus ea fecit. Angelus minister ẽ dei ad hominem. Tã preciosus est homo apud deum q̃ angelus. Primus beneficus est deus, secundus est is qui beneficiis eius particeps est homo. Viue igitur ita tãq̃ qui sis secundus post deum, & electus ab eo. habes inq̃ i te aliquid simile dei: & ideo utere te ipso uelut templo dei, pp illud quod i te ẽ simile dei. Libertatẽ arbitrii sui promisit deus hominibus sine dubio, ut pure & sine peccato uiuẽtes similes fiant deo. Reuereatur uitam tuã mundus. Nihil admittas: quod tibi inuehat notam. Male uiuentes cum e corpore excesserit, cruciabit malus daemon, usq; quo etiã nouissimum quadrantem exigat ab eis. Beatus uir: cuius animam nemo reprehendat ad deum pergentem. Quicquid super omnia honoraueris: hoc tibi dominabit̃. Deum ergo honora super omnia, ut ipse dominetur tibi. Si ãt dominatũ tui gerit de⁹, ita tu demũ dominaberis omnib⁹. Honor summus deo scire eũ & imitari eum. Simile quidem deo per omnia nihil est, gr̃a tamen ei ẽ inferioris pro ut pollere ẽ imitatio. Tẽplũ sanctũ deo ẽ mẽs: & altare ẽ optimũ cor mundum & sine peccato. Hostia soli deo acceptabilis benefacere hominibus p deo. Deo gr̃am praestat homo: q ĩquantũ possibile ẽ uiuit secũdũ deum. Deus autẽ nullius eget: fidelis aũt solius dei. Aemulat̃ illũ nec ullius eget is: q paucis i reb⁹ necessariis idiget. Satis age magnus esse apud deũ, apud uero homines iuidiam fuge. Si benignus sis apud indigentes, magnus eris apud deum. Sapiens uir cuius uiuentis quidem parua est apud homines opinio, defuncti uero gloria praedicatur. Omne tempus in quo de deo non cogitas, puta te perdidisse. Corpus tuum quidem incedat in terra: aĩa aũt semper sit apud deum. Intellige quae sint bona: ut bñ agas. Bona cogitatio hõis deum nõ latet: & ideo cogitatio tua pura sit ab oĩ malo. Dign⁹ esto eo, q te dignat⁹ ẽ filiũ dicere, & ageſ oĩa quasi fili⁹ dei Qui dũ pr̃em uocas, hui⁹ i actib⁹ tuis memor esto. Vir castus & sine peccato põtatẽ accepit a deo eẽ fili⁹ dei. Bña m̃s chor⁹ ẽ dei.

Mala mens chorus est dæmonum malorum. Iniustum si i-
hibeas agere iniuste, hoc est secundum deum punire. Satis
age non uideri: sed esse iustus. Certum est enim non esse:
qui uideri uult esse. Honora quod iustum est propter hoc
iustum: quod iustum est. Nequaquam latebit deum agẽs
iniuste: sed nec cogitans quidem. Vir sapiens castus erit
deo. Omnem spurciciam fuge. Semper de bonis loqui stu
de. Libidinem uince continens corpus in omnibus, quia
ex deliciis & uoluptatibus non effugies spurciciam. Vo-
luptuosum deus non exaudit. Delitiarum finis corrup-
tio. Nõ uerbũ sed ratio præcedat actus tuos. Perniciosũ
est seruire uitiis, qa quot uitia habet anima: tot & dominos.
Amor pecuniæ amorem carnalium idicat. Acquire pos-
sessionem firmam. Quid est firma possessio: nisi uirtus aut
uis animæ? Renuntia rebus corporis dum adhuc potes: &
quantum potes. Hoc solum tuum ducito: quod bonum
est. Qualis uis esse dũ deum oras, talis semper esto. Dum
optima quæq; abieceris prædia tum purificatus pete quod
uis a deo. Qualis uis esse apud deum: iam nunc esto talis.
Dum distribueris ea: quæ mundi sunt, & ea despice tanquã
sciens esse præter deum. Lingua maliloqua indicium est
malæ mentis. Insuesce linguam tuam bene loqui, & maxi-
me cum de deo sermo sit. Male quidem facere deo nemo
potest. Impius autem est qui blasphemat. hoc enim quod
potuit fecit. Fundamentum pietatis est continentia. cul-
men autem pietatis est iusticia ad deum. Pium hominem
habeto tanq̃ te ipsum. Opta tibi euenire non quod uis: sed
quod expedit. Qualem uis esse proximum tuum tibi: talis
esto & tu proximis tuis. Quæ culpes facere noli. Nulli sua
denti acquiescas petere, quod non est bonum. Quod tibi
deus dat: nullus auferre potest. Libra prius q̃ agas, & ante
q̃ agas prouide, quale sit: quod facturus es. Siquid non uis
scire deum, hoc nec agas nec cogites. Priusq̃ agas quod-
cunq; agis cogita deum. lux eius præcedat actus tuos. Grã
dis impietas in deum affligere hominem. Anima illustra-
tur recordatione dei. Contentus esse de mediocrib⁹ stude.
Noli omnia concupiscere. Occasiones bonorum perquire
etiam cum labore. Noli diligere ea: quæ corporis sunt.

Immundum hominem facit actus turpis. Purgatur anima insipientis:cũ arguitur intrinsecus latens sensus eius. De⁹ in bonis actibus hominibus dux est. Neminem inimicũ deputes. Dilige hominem:quod eadem tecum natura est. Deum uero etiam plus q̃ animam tuam dilige. Pessimum est peccatoribus in unum conuenire cum peccant. Multi tibi impediunt castitatem,& incontinentia ciborum immũdum facit hominem. Animantium omnium quidẽ esus indifferens est,abstinere uero rationabilius est. Non cibi: qui per os inferuntur polluunt animã,sed ea, quæ ex malis actibus proferuntur. Quicquid cupiditate uictus acceperis polluit te. Multitudini placere ne satis agas. In omni quđ bene agis auctorem deputa deum. Mali nullius auctor est deus. Non amplius possideas:q̃ usus corporis poscit. Aurum non eripit animam de malis. Indeliciis corporis positus certum est,quia ignores illa:quæ præparata sunt tibi a deo. Hæc posside,quæ nullus possit auferre. Fer quđ necesse ẽ,sicut necesse sit. Magnanim⁹ eẽ stude. Hæc posce a deo: q̃ dignum est præstare deum. Ratio,quae ĩ te est,uitae tuae ipsa sit lex. Ea pete a deo:quae accipere ab homine non potes. In quibus praecedere labor hoc tibi euenire post laborem. Oratio uel uota pigri sermo uarius. Non oportet contemni ea:quibus etiam post depositionem corporis ĩdigeamus. Non petas a deo id:quod cum habueris non ꝑpetuo obtinebis. Insuesce animam tuam aliquid magnũ de se sentire post deum. Nihil pretiosum ducas, quod possit auferre a te homo malus. Hoc solum bonũ putato: quđ deo dignum est. Quicquid cõuenit ad beatitudinem dei non cõuenit homini dei Ea debes uelle: quae uult & deus. Filius dei hæc sola pretiosa ducit:quæ & deus. Donec ide sideriis est caro anima ignorat deum. Cupiditas possidendi origo est auariciae. Dũ semet ipsum quis diligit, inde iniusticia nascitur. Naturaliter paruum quidẽ corpus molestum est animae. Luxuria facit corpus intolerabile. Omne,quod homini plus est,q̃ necesse sit:inimicum est ei. Qui amat quod non expedit,non amat,quod expedit. Sapiens uir in paucis innotescit. Qui studet iis: quae non sunt bona:latebunt eum quae sunt bona. Semper apud deũ mẽs ẽ

sapientis. Sapientis mentem deus inhabitat. In explebilis est omnis cupiditas:propterea & semper idiget. Sapiēs semper similis ē sibi. Sufficit ad beatitudinem agnitio dei solius,& imitatio. Malis qui adulatur peiores eos facit. Intolerabilis fit malitia cum laudatur. Lingua tua sensū tuum sequatur. Melius est lapidem frustra iactare q̃ uerbū Delibera anteq̃ dicas,ne quæ non expedit dicas. Verba sine sensu obprobria. Verbositas non effugiet Peccatū Breuis est in sermonibus sapiens. Indicium imperitiæ est longa narratio. Veritatem dilige,tanq̃ ueneno mendacio utere. Ante omnia tēpus uerbis tuis requirito. Tūc loquere: qñ tacere nō expedit. De qbus ignoras tace. De quibus autē certus es:loquere opportune. Sermo extra tempus indiciū maliciosæ mentis est. Inconuētu ne satagas primū dicere. Melius est uici uera dicentem q̃ uincere mentientem.

Fides actus tuos omnes præcedat. Sapientia animam perducit ad deum. Nihil autem tam uernaculum sapientiæ quā ueritas. Nunq̃ potest bona anima mendacium diligere. Prauo & pessimo ingenio fides aliena est. Fidelis homo audire quæ oportet amat magis:q̃ dicere quæ nō oportet. Vir libidinosus ad omnia inutilis est. Irreprehensibilis autem in uerbis unitur deo. Peccata discentium opprobria sunt doctorum. Mortui sunt apud deum,per quos nomen dei maledicitur. Sapiens homo beneficus post deum. Sermones tui uitam tuam commendēt auditoribus. Quod fieri nō debet,neq; in suspicionem uenias quasi id feceris. Quod pati nō uis ab alio neq; id facias. Quæ tibi facere turpe est,hæc & alii imperare turpissimum est. Etiam in cogitationibus tuis mundus esto apeccato. Cum præes hominibus memento quia & tibi preest deus. Et uindicans homines scito quia & tu uindiceris a deo. Maius est periculum iudicantis q̃ eius:q iudicatur. Leuius est omne uulnus q̃ uerbū. Possibile est fallere homines,non tamen deum. Non putes malum:sed tu cum ueritatem scias:uincaris in uerbo. Male sentire de fide amor iactantiæ est. Fidelis esse q̃ uideri magis stude. Cole sapientem uirum, sicut imaginem dei uiuētis. Sapiēs

uir etiam si nudus sit:sapiens sit apud te. Neminem propte
rea honores:quia multas habet pecunias. Difficile ē diuitē
saluari. Derogare uirum sapientem & deum æquale duci-
to peccatum. Verbum de deo loquens depositum te puta-
to accepisse animas auditorum. Quod bonum est:hoc so
lum te dicere putato. Age magis:non magis pollicere. Tu
non eris sapiens: si te reputaueris sapientem. Non potest
bene uiuere,qui non integre credit. In tribulationibus qui
sit fidelis agnoscitur.Finem uitæ existima uiuere secundum
deum. Nihil putes malum,quod non sit turpe. Mali finis
iniuria,iniuriæ autem perditio. Non ascendit passio ī cor
hominis fidelis. Omnis passio animi rationis eius est ini-
mica.Quicquid feceris dum ī passione es,anima pœnitebit
Passiones ægritudinum initia. Malitia est ægritudo ani-
mae. Animae autem mors iniustitia & impietas. Tunc
te putato fidelem cum passionibus animae carueris. Om-
nibus hominibus ita utere: quasi comunis omniū praecur-
sor. Qui hominibus male utitur,se ipso male utitur. Qui
nihil mali uult:fidelis est. Opta ut possis benefacere inimi
cis. Sine deo non poteris uiuere deo. Malis ineptus ui-
detur uir sapiens. Omnia suffer pro eo: ut secundum deū
uiuas. Orationem deus non exaudit hominis:qui egenū
non audit. Sapiens sapienti donum a deo. Honorans sa-
pientem te ipsum honorabis. Cum filium dei te quis di-
cit,memento cuius te filium dicit. Deum patrem inuocās
in actibus tuis hoc memorare. Verba tua pietate semper
plena sint. In actibus tuis ante oculos tuos pone deum.
Nefas est deum patrem inuocare:& aliquid inhonestū ager̃
Qui non diligit sapientem,nec se ipsum diligit. Nulla ꝓ-
pria possessio putatur philosophi. Quorum comunis est deꝰ
idemque pater:horū possessio nisi comunis sit: impii sunt.
Deo ingratus est: qui non magnum ducit philosophum.
Coniugium tibi refutare concessum est,iccirco ut uiuas in-
desinenter adhærens deo. Nubere & filios procreare:pessi-
mum scias utrunqꝫ. Sin autem tanq̃ praelium sciēs tamen
pugnare uis: & uxorem duc & filios procrea. Adulter etiā
propriae uxoris est omnis impudicus:uel amator ardētior.
Nihil propter solam libidinem facias. Scito te adulterū

esse etiam si cogites de adulterio. Sed & de omni peccato eadem sit tibi ratio. Fidelem te professus spopondisti pariter non peccare deo. Fideli mulieri ornatui ducatur pudicicia: Vir qui uxorem dimittit profitetur se nec mulierem gerere. Mulier pudica gloria uiri est. Reuerentiā habēs uxori habes eam reuerentem. Fidelium coniugium certamen habeat continentiæ. Pro ut continueris uentrem: ita & uenereos motus. De uita infidelium laudes. Quæ gratis accipis a deo: præsta gratis. Multitudinem fidelium nō inuenies. Rarum est enim omne: quod bonum ē. Sapiētem honora post deum. Cum argueris: ut sapiēs fias, habe grām arguentib⁹. Qui sapiēti nō obtēpat nec deo obtēpat Fidelis uolens esse: præcipue quidē intra te nō pecces, quod etiam si forte acciderit: saltem rogo: ne itereſ id ipsum. Doctrinam: quæ non est deo digna: ne dicas. Multa uelle scire curiositas animi putanda est. Qui cognoscit quae deo digna sunt: ille st sapiens. Doctrinam ex qua proficere potes in amore dei, illam specialiter expete. Sapiens uir parcit ne perdat tempus. Fiduciam cum uerecūdia habeto. Excruciēt te liberi male uiuentes magis quam moriētes. Viuere quidem non est in nobis, recte autē uiuere in nobis est. Filii infideles nec filii. Fidelis uir non ingrate fert abiectionem liberorum. Non iudicas esse philosophum, cui non de omnibus credis. Criminationes aduersus philosophū noli recipere. Stude communiter omnib⁹ bene facere. Execrabile sit tibi etiam iuste aliquid punire. Si uis cum lætiᵗia animi uiuere, noli multa agere. In multis enim actionibus minor eris. Quod non posuisti non tollas: sed sufficiāt tibi quæ tua sunt. Derelinquens quæ possides sequere uerbum dei. Liber enim eris ab omnibus: cum deo seruieris. Cessa ab omni cibo bonis impertito. Pro reficiendo paupere etiā ieiunare bonum est. Omne poculum suaue tibi sit: quod sitim extinguit. Ebrietatem quasi īsaniā fuge. Homo, qui a uentre uincitur helluo fidelis est. Ex carne nihil oritur bonum. Turpissimae libidinis ea quidem, quae suauia sunt, cito transeunt. Proba uerba perpetuo manent. Solent homines abscidere aliqua membrorum suorum

pro sanitate reliquorum: quanto id praestantius pro pudicicia fiet. Grandem pœnam putato, cũ in desideriis optinueris Nunquam enim compescit desiderium possessio desyderatorum. Non est sapienter factum, in quo libertas aufertur. Libidinem necessariam tanquam non necessariã ducito. Bona quidem habere optant. Optinent autem hi: qui semet ipsis ex integro uerbo dei mancipant. Philosophus & honestus esto: & nõ optrectator. Rara sit optrectatio tua & opportuna. Nimius risus indicium ẽ animae negligentis. Non ergo tibi ipsi indulgeas diffundi. Castorum uita sit tibi ad honestatis exemplum. Optimum q̃dem est non peccare: peccantẽ uero in notescere q̃ ignorare melius est. Lactans non est philosophus. Magnam scito sapientiam: per quam ferre potes ineruditorum insipientiã. Turpe ducito proprio ore laudari. Sapientium animae ĩsatiabiles in amore dei. Exordium in agendo a deo summe Qui agis ore prius deum habeto & mente, q̃ respires. Ea: quæ oportet discere: & ita facere, nõ coneris facere ante q̃ discas. Carnem noli amare. Animam bonam post deum dilige. Domesticorum indignationes ferre sapientis est bonũ Sapientium diuitiae continentia. Si quid proprium alii tradideris, at ipse non habebis non iudices bonum. Nihil bonum, quod non potest esse comune. Non dicas aliquid alio peccato leuius. Sicut in bonis actibus laudari uis, ita in delictis patienter accipe, si culperis. Quorum laudes contemnis, neque derogationes magnipendas. Thesaurum quidem defodere in humanum est: inuentum autem auferre non est philosophi. Quantum autem laboras pro corpore: si tantum laboras pro anima sapiens eris. Sapiens non est: qui nocet. Ad omnia: quæ agis deum inuoca testem. Deus bonos actus hominum confirmat. Malorum actuum malus dæmon dux est. Nõ poterit sapiens compelli facere quod nõ uult, sicut deus. Sapiens uir deum hominibus commendat. Deus omnia inter opera plus super sapientem glorificatur. Nihil tale post deum uerum sicut sapiens. Quem deus possidet hoc & sapiens. Malus uir non uult esse prouidens.

Anima mala deum fugit. Omne quod malum ẽ: deo inimicum est. Qui sapit in te hunc dicito esse hominẽ. Particeps dei est uir sapiens. Vbi est: quod sapit in te ibi est & bonum tuum. Bonum in carne non quaeras. Quod animae non nocet, nec homini. Philosophum hominẽ tanq̃ dei ministrum honora post deum. Tabernaculum quidẽ corporis grauiter ferre superbum est. Deponere autẽ posse cum oportuerit: in pace bonum est. Mortis quidem ipse tibi causa non fias. Siquis autem te uult corpore exuere, ne indigneris. Sapiẽtem de corpore siquis excludat iniuste, in iniquitate sua beneficiũ ei præstat. Absoluitur enim tanquam de uinculis. Hominẽ metus contristat pro imperitia animae. Ferrum quidem, quo homines interimũtur, optimum quidem fuerat non fieri: factum tamen apud te nõ sit. Nulla simulatio multo tempore latebit, & maxime in fine. Pro ut sunt mores tui, talis & uita tua. Mores enim religiosi faciunt uitam beatam. Qui cogitat ad uersus aliũ mala, ipsa praeueniens praefert mala. Non te impediat a benefaciendo homo ingratus. Nihil rerum maioris precii ducas, q̃ petit is, qui accipit. Optime utitur facultatibus is: qui indigentibus libenter tribuit. Fratrem uolentem a fide recedere persuade ne faciat, & si insanabilis est: magis cõserua. In fide conare omnes homines uincere. Intellectum non prius habebis q̃ intellexeris te habere. Sufficientiam seruare stude. Membra corporis sarcina sunt iis: qui eis nõ utuntur. Ministrare aliis melius est: q̃ ab aliis ministrari. Quem deus non emittit a corpore, non grauiter ferat. Sẽtentiam: quae misericordiam uetat, non solum non tenere sed audire refuge. Qui dat aliquid & imputat: contumeliã magis q̃ beneficium dedit. Qui tuetur pupillos erit multorum filiorum pater. Quicquid egeris causa gloriæ: hoc erit merces facti tui. Si qd dederis: ita ut hominibus ĩnotescat non homini: sed propriæ libidini præstitisti. Iracundiam multitudinis ne prouoces in te. Disce quod oportet fieri: ut beatus fias. Melius est fame mori, q̃ per incõtinentiam uentris animam maculare. Vestimentum putato esse animæ corpus tuum mundum: igitur id conserua. Qualia gesserit anima studia corpus inhabitans, tales habebit testes in

iudicio. Immundam animam sibi dæmones immundi uēdicant. Fidelis anima & bona uerbum de deo non omni homini committit. Non est tuum audire de deo homines uanæ gloriæ iactantia corruptos. De deo etiam quæ uera sunt loqui periculum est non paruum. De deo nihil dicas: quod nō didiceris a deo. Vel ei, qui non credit esse deum: de deo nihil loquaris. Verbum uerum ut deum honora. Si immunis non es a flagitiosis operibus, de deo nihil disceptes. Sermo uerus de deo: sermo dei est. Si scis quia acceptum habent de te: quod diligas deum: qui te audiūt, tūc ei loquere de deo. Opera caritatis dei procedant abs te: & tunc sermonē facito de deo. In multitudine dicere de deo non audias. Verbum de deo parcius proferto magis q̃ anima. Melius est animam perdere, q̃ uerbum uanum de deo proferre. Viri amantis deum corporis potestatē habet leo & tyrannus similiter. Cum tibi minatur tyrannus: cuius sis tūc memor esto. Verbum de deo qui loquitur iis: quib⁹ non licet: proditor dei putandus est. Verbum de deo reticere præstat, q̃ magis q̃ decet temere proferre. Qui dicit de deo ea: quæ non sunt contra eum, falsum non loquitur. Homo qui nil habet: quod dicat de deo, uere desertus est a deo. Deum non cognouit: qui non coluit. Non est uerū, ꝙ deum colat: qui hominem lædit. Fundamentum & initium est cultus dei amare homines. Qui hominum curam gerit, & orat pro eis: iste uere a deo putandus est. Dei ꝓpriū est saluare: quos dignos iudicat. Cultoris autem dei ē orare pro salute hominum.. Cum oranti tibi præstitum fuerit poposci a deo, tunc tibi potestatē permissam in tellige. Dignus deo homo: deus est in hominibus. Melius est nihil habere, q̃ multa habentem nemini impertiri. Si non das egenti cum possis, non accipis a deo, cum popósceris. Qui ex animo dat cibum indigenti: parum quippe est quod dat sed magna fiet ei bonæ uoluntatis retributio. Deum qui putat esse, & nihil ab eo creari, nihil ab eo differt, qui nō credit esse deum. Optime honorat deum: qui mentem suam quantum fieri potest: similem deo facit. Deus quidem nequaq̃ indiget: lætatur tamē super his: qui indigentibus tribuūt. Fidelium pauca sunt uerba: opera autē multa fidelis.

Qui libenter docet: operarius efficitur ueritatis. Præpara & apta te ad tribulationes & leuis eris. Neminem lædens nullum timebis. Tyrannus beatitudinem non aufert. Quod fieri necesse est: uoluntarie facito. Quod non oportet fieri nullo modo facias. Omnem magis causam refer ad causam refer ad deum. Nemo sapiens uir est: qui deorsum respicit in terram. Immensa philosophi libertas non sit in homine: sed in anima. Mentiri in uita decipere est: & mētiri quid sit deus agnoscit. Et quid est in te quod agnoscit deum dei, opus bonum. Sine deo sunt hi, pro quibus uerbum dei maledicitur. Animam mors nō tollit: sed mala uita. Si scis a quo factus es, & te ipsum non agnoscis. Non est secundum deum uiuere nisi pudice: & bene: & iuste siquis agat. Hominum infidelium uita obprobrium est. Malo ingenio uerba dei ne committas. Animam de terra fides eleuat ad deum. Animæ sapiētis magnitudinem nō inuenies sicut nec dei. Quæcunq; dat mundus nemo firmiter tenet. Quæcunq; dat deus nemo aufert. Diuina sapientia uere est scientia. Immundæ animae ne audeas loqui experimentum de deo. Viri periculum in operibus, & sic in uerbis facito. Aures tuas non omnibus committas. Operari quidem de deo omnibus facile est, dicere autem de deo soli iusto permittendum est. Non cruciet anima tua corpus tuum, neque animam tuam libido corporis. Insuesce te ipsum quidem corpori praebere: quae sua sunt caste, & animae quae sua sunt pie. Pasce animam tuam uerbo dei: & corpus simplicibus cibis. In illis insuesce animam tuam: in quibus recte gaudeat. Anima quae iniquis rebus gaudet, indigna est apud deum. Sapientis anima sēper est cum deo. Cor diligentis deum in manu dei stabilitum est. Animae ascensus ad deum per uerbum dei ē. Sapiens sequitur deum: & deus animam sapientis. Gaudet rex super his: quos regit: gaudet ergo deus super sapiētem. Inseperabilis ab his, quos regit ille qui regit, ita ergo & deus ab anima sapientis: quam tuetur & regit. Dispensaſ a deo uir sapiens, & iccirco beatus. Anima sapientis probabilis apud deum est, sed & mens. Sapiens uir & cū tacet honorat deū. Ventrē & ea: quae sub aluo sunt non continens

nec est fidelis. Homo incontinens polluit deum. Hominem sciẽtia dei ut facit paucis uerbis. Multis uerbis uti de deo ignorantia est. Homo qui deũ scit non multa ambitione utitur. Qui electus dei est, facit quidem omnia secũdum deum, esse autem se ipsum nõ iactat electum. Fidelis homo semper in metu est usq; quo eat ad deum. Homo q secundo satiatur cibo, non dormit nocte, nec cibum effugit sed nec dignus est apud deum. Sapientem fatum non facit. gratia enim dei fato non subiacet. Alioquin & deus grauiter non accipit libidines corporis. Fidelis uir continentia pascitur. Agnosce qui sunt filii dei ĩ creaturis eius, & honora unum quenq; pro merito post deum. Nihil proprium dei dicas, quod malũ est. Fidelis anima casta: & sapiẽs propheta uirtutis dei est. Non amabis dominum deum tuum, nisi habueris aliquid simile dei. Amicum deputa similem simili tamen modo. Non diligis deum, si non ibis ad deum, Consuesce te ipsum semper respicere ad deum. In tuendo deum uidebis deum. Videns deum facies mẽtẽ tuam qualis est deus. Excole quod intra te est: nec ei ex libidine corporis contumeliam facias. Incontaminatum facias corpus tuum tanq̃ si indumentum acceperis a deo: & sic uestimentum immaculatum seruare stude. Sapientis mẽs speculum est dei. Immundae autẽ animae nil audeas de deo dicere.

LAVRENTII ABSTEMII CARMEN AD LECTOREM.

Astrigeras quicunq; cupit conscẽdere sedes:
Visere & immensi radiantia tecta tonantis:
Quo nihil humanis toto sublimius orbe
Mentibus occurrit, legat hunc: relegatq; libellum
Et faciat quaecunq; monet. namq; hostia caeli
Sancta fides, pietas: spes: iusti cultus & aequi
Puraq; mens: homini non uerbula sola recludunt.

FINIS



